



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dictamina Seu Scita Variæ Doctrinæ, Politicæ, Moralis,
Stoicæ, Christianæ, & Spiritualis**

Nieremberg, Juan Eusebio

Paderbornæ, 1711

Decas IV.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50306](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50306)

debilitas, mons difficultatum, & vallis ja-
cturarum. Denique non est vitium, quod
carò non steterit.

29. Quemadmodum numeri, & divi-
sionem suam habent, & integritatem; ita
& vitia. Eâdem quippe ratione, quâ dici-
mus, tria & tria sunt sex, verum quoque
erit dicere: vilitas animi, & ambitio fa-
ciunt superbiam: rancor, & elatio in-
vidiam.

30. Nulla melior Legum glossa, ac
Principis exemplum: omnes indè im-
buuntur, omnes percipiunt, quidquid
in eo legerint, porrò exempli efficacia
sumenda non est à persona, quæ illud de-
derit, sed ab opere, quod patrârit. Im-
plêsse legem, non posuisse vim habet. In
Legibus mens est regnantium, in factis vi-
ta subditorum. Exemplum malum de
nullo sumendum est, de malis aliquando
bonum. Neque justî semper agunt, quod
melius est, neque perversi semper ne-
gligunt, quod bonum.

DECAS IV.

31. Generosos juvat prudentia: auda-
ces fortuna: arrogantes patientia aliena:

humiles propria : superbos vilitas sua

32. Perversum est erroris conscium vivere, lugendum in eo decessisse. Hoc agit, qui non contentus immeruisse se vanitatibus, dum vixerat, in id quoque curas ponit, ut earundem memoria super sit post mortem.

33. Quis non illacrymetur iis, qui dum mundum effectum deserunt, tenent affectu, relinquentes in eo pignus perpetuum voluntatis suæ vel deceptæ, vel vitiosæ. Vanum emori vanitas est totius vitæ vanissima.

34. Tristissima vanitatis, & deceptionis victima mors illius est, qui sentiens finiri vitam, non advertit finiri stultitiam suam.

35. O! perversissimam mundi fidem! toties illudentem nobis, nunquam tamen non amatam! Ubi ille te negligit, ac penè contemptim habet, tu curâ illius ad eò tangeris, ut curam negligas Dei.

36. Nemo, quod in pretio habet, desidiosè curat: solet æstimatio sollicitudinè imperare. Quæ par superbo magnitudo? & tamen depositâ curâ vilescit sibi: nul-
lius

lius fatagit minùs, quàm sui. Negligit morum probitatem, ut augeat honoris plausum, propriis se damnans votis, cùm inde vilescat, unde quærit æstimari.

37. Aula Regia centrum est mundi; eò se colligit omnis gravitas vitiorum. Illuc invidia iter instruit: eò adulatio progreditur, post se trahens mendacium, fidissimum Achatem. Christus Redemptor noster non nisi funibus attractus Palatium subiit, maluitque silendo mutus videri, quàm loquendo mendacii suspensionem inducere. Levius judicavit notari de facultate, quàm periclitari de fide veritatis.

38. Honor res est prorsus arbitraria: ibi solet investigari, ubi & infamia occurrit. Ut eum prætendas, opus est prudentiâ: ut consequaris, felicitate: ut conserves, patientiâ: ut ambias, dolo & astutiâ.

39. In assentationem Princeps se præmuniat metu, in veritatem patientiâ: ad hac non decet commoveri, ab illa caveat decipi. Præstat errorem doceri, quàm ignorantem seduci.

40. Epidemia Nobilium, & contagio Principum assentatio est. Ei prævertendæ

dæ juverit colere sinceros, apertique pe-
 ctoris, execrari loquaculos, & exaggerato-
 res, odisse inflatos, honorisque præcupi-
 dos. Aliud quoque antidotum in pestem
 illam valet, si ambitioni obnoxius non sis,
 amésque modestiam statui congruentem.
 In vanum recidunt laudes blandientis, si
 non afficiant animum audientis.

DECAS V.

41. Loqui malè infirmitatis est: loqui
 bene, virtutis: loqui vera, ingenuitatis:
 opportunè loqui prudentiæ, loqui impor-
 tunè, est stultitiæ: non loqui, ubi loquen-
 dum pusillanimitatis.

42. Per Periphrasin mentitur, qui polli-
 cita sæpius pollicetur: iudicium præbet,
 se nunquam facturum, qui bis dixerit: *ma-
 nè faciam*. Jucundè quidam: per plateam
Deinde venit ad domum *Nunquam*.

43. Silentium merentis laudari est com-
 mendatio per substitutos. Omnium ora
 in sui encomia solvet, qui de seipso nullum
 dixerit: quemadmodum è contrario o-
 mnibus ansam præbet murmurandi, qui
 officium sumit seipsum deprædicandi.

44. Aëre tam corrupto nemo vixerit,
 quàm